

## P S A L M V S I X.

*Titulus, & Argumentum.*In finem pro occultis filij Psalmus  
Dauid.

**H**VNC titulum Hebraei legunt, *Victori super mortem filij: & quidem verba Hebraica, ut modo leguntur, ita sonant. Sed quia Psalmus hic est Psalmus lœtitia, & Dauid non lœtitia, sed mœrore maximo affectus fuit ex morte filij, idè aliqui volunt vocem illam, Laben, legendam esse ordine literarum conuerso, videlicet, Nabal, ut sensus sit, pro morte Nabal. Sed Psalmus non loquitur de morte vnius hominis tantum, sed etiam de interitu magni alicuius exercitus. Idè alij dicunt in hoc Psalmo gratias agi Deo pro morte Goliath, & fuga totius exercitus Philistinorum. Sed Goliath non fuit filius Dauid, ut inscribere debuerit Psalmum, pro morte filij. Verissima est igitur lectio Septuaginta, & vulgata Latina editionis, pro occultis, siue arcanis filij. Voces enim illæ, *almuth*, possunt legi, *alamoth*, quod significat occulta, siue arcana, & credibile est excidisse præpositionem, *al*, & legendum, *alalamoth*, pro occultis, sicut legitur in titulo Psalms 45. Certè Septuaginta Interpretes, qui utrumq; titulum eodem modo reddiderunt, videlicet, *alalamoth*; neq; dubium esse potest, quin libri eorum emendatiores fuerint quàm nostri. Quia verò ponitur hoc loco nomen filij absolute, & præcedit nomen arcani, siue occulti, id est, mysterij reconditi, rectè intelligimus in hoc Psalmo tractari de unico illo Filio Dei, qui in carne humana delitescens, & nouo bellandi genere pugnans, vicit diabolum & exercitum eius, quod Apostolus Coloss. 1. vocat mysterium absconditum à sæculis. Ad quem sensum reduci potest lectio Hebraica, pro morte filij, id est, pro morte Christi Filij Dei, quatenus ea mors fuit gloriosa debellatio Principis tenebrarum.*

## EXPLICAT. PSALM. IX.

**C**onfitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Proponit materiam Psalms, quæ erit laudatio Dei propter opera eius mirabilia. Illud, in toto corde, significat rem esse omnium maximam, quam laudaturus est, & idè totis viribus, totoque affectu laudandam. Illud etiam, omnia mirabilia, significat rem laudandam esse tam vniuersalem, ut quasi compendio quodam comprehendat omnia opera mirabilia Dei. Et verè talis fuit redemptio generis humani, opus summæ misericordiæ, in quo recapitulantur omnia beneficia Dei, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 1. Instaurare omnia in Christo, id est, recapitulare, ut sonat vox Græca, & in vnam quasi summam omnia redigere.

Lætabor, & exultabo in te, psallam  
nomini tuo altissime.

Idipsum aliis verbis significat, vel potius explicat, quasi dicat, Confitebor tibi lætabundus, & exultans, ita ut lætitia sit in corde, exultatio in exteriori motu, atq; ita in toto corde confitebor. Narrabo mirabilia psallens nomini tuo Altissime, id est, in gloriam tuam canens illa mirabilia.

In conuertendo inimicum meum  
retrosum infirmabuntur, & peribunt  
à facie tua.

Incipit narrare victoriam Christi contra diabolum, & satellites eius, & loquitur in persona totius Ecclesiæ. In conuertendo, inquit, inimicum meum retrosum, id est, cum conuertetur inimicus meus diabolum retrosum, fugere videlicet incipiens à facie tua; tunc omnes eius milites infirmabuntur, & peribunt, id est, cognita fuga Ducis, debiles reddentur, & dilabentur, ac euanescent, ac si periissent. De hac fuga diaboli loquitur in Euangelio Dominus, Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Ioan. 12.

Quoniam fecisti iudicium meum, &  
causam.